

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XXXIII: Pro M. Coelio

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

reus uterque ob eandem causam, & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem esse, quam te, numquam soles confiteri: alter tuis consilijs, illo tamen adiuuante) quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disjungere? Extremum illud est, quod mihi abs te responderi uelim: cum multa in Albinouanum de prauaricatione diceres, dixerisne, nec tibi placuisse, nec oportuisse Sextium de ui reum fieri? quauis lege, quouis crimine accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, causam Milonis fortissimi uiri coniunctam cum hoc existimari? quae pro me a Sextio facta sunt, bonis esse grata? Non coarguo inconstantiam orationis, ac testimonij tui, quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus uerbis testimonij dixisti: quicum autem eius causam periculumque coniungis, eum summis laudibus extulisti. Sed hoc quaero, num P. Sextium, qua lege accusandū omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut, si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi auctoritatis a me tributum esse uideatur, dixerisne in eum testimonium de ui, quem negaris reum omnino de ui fieri debuisse?



PRO M. COELIO.

P. B.

ORATIO XXXIIII.

I quis iudices, forte nunc ad sit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostrae: miretur profecto, quae sit tanta atrocitas huiusce causae, quod diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotijs forensibus intermissis, unum hoc iudici

diciūm exerceatur; nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto, ciuitas stare non possit: idem, crimē audiāt, esse legem, quæ de seditiosis, consceleratisq; cinibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus uim attulerint, remp. oppugnarint, quotidie quæri iubeat: legem non improbet, crimē quod uersetur in iudicio, requirat. cum audiāt nullum facinus, nullam audaciam, nullam uim in iudiciūm uocari; sed adolescentem illustri ingenio, industria, gratia, accusari ab eius filio, quem ipse in iudiciūm & uocet, & uocari, oppugnari autem hunc opibus meretricijs: Atracini illius pietatem non reprehendat; muliebrem libidinem comprimendam putet; uos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio liceat esse. Etenim, si attendere, diligenter, existimare uere de omni hac causa uolueritis, sic constituētis iudices, nec descendurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui utrum uellet liceret, nec cum descendisset, quidquam habiturum spei, fuisse, nisi alicuius intolerabili libidine, & nimis acerbo odio nitentur. sed ego Atracino humanissimo, atq; optimo adolescenti, meo necessario ignosco, qui habet excusationem uel pietatis, uel necessitatis, uel ætatis. si uoluit accusare, pietati tribuo: si iussus est, necessitati: si sperauit aliquid, pueritiæ.

P. 38. ceteris non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum. Ac mihi quidem uidetur iudices, hic introitus defensionis, adolescentiæ M. Cælij maxime conuenire, ut ad ea, quæ accusatores deformandi huius causa, detrahendo, spoliandaq; dignitatis gratia dixerunt, primum respondeat. Obiectus est pater uarie, quod aut parum splendidus ipse, aut parū pie tractatus a filio diceretur. de dignitate Cælius notis, ac maioribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus facile ipse respondet. quibus autem propter senectutem, quod

quod iam diu minus in foro nobiscum uersatur, * non aequè est cognitus, hi sic habeant: quæcunque in equite Romano dignitas esse possit, quæ certe potest esse maxima, eam semper in M. Cælio habitam esse summam, hodieque haberi non solum a suis, sed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de causa esse notus. Equitis autem Romani esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus, neq; his iudicantibus oportuit, neq; defendentibus nobis. Nam, quod de pietate dixistis, est quidem ista nostra existimatio, sed iudicium certe parētis, quid nos opinemur, audietis ex iuratis: quid parētis sentiāt, lacryma matris, incredibilisq; meror, squalor patris, & hæc præsens mœstitia, quam cernitis, luctusque declarat. Nam, quod est obiectum, municipibus esse adulescentem non probatum suis: nemini umquam præsentii Puteolani maiores honores habuerunt, quam absentii M. Cælio: quem & absentem in amplissimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt: iidemq; nunc lectissimos uiros, & nostri ordinis, & equites Roma. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauissima, atq; ornatissima laudatione miserunt. Videor mihi iecisse fundamenta defensionis meæ, quæ firmissima sunt, si nitantur iudicio suorum. neque enim uobis satis commendata huius ætas esse posset, si non modo parenti tali uiro, uerum etiam municipio tam illustri, ac tam graui displiceret. Equidē, ut ad me reuertar, ab his fontibus profuxi ad hominum famam: & meus hic forensis labor, uitaq; ratio dimanauit ad existimationem hominum paulo latius commendatione, ac iudicio meorum. Nam, quod obiectum est de pudicitia, quodque omnium accusatorum non criminibus, sed uocibus maledictisque celebratum est, id numquam tam acerbe feret M. Cælius, ut eum peniteat,

P.B.

non

non deformem esse natum. sint etenim ista maledicta per-
 vulgata in omnes, quorū in adolescentia forma, & species
 fuit liberalis, sed aliud est maledicere, aliud accusare. accu-
 satio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet,
 argumento probet, teste confirmet: maledictio autem nihil
 habet propositi, præter contumeliam: quæ si petulantius
 * iactatur, cōiucium: si facetius, urbanitas nominatur. Quā
 quidem partē accusationis admiratus sum, & moleste tu-
 li potissimum esse *Atracino* datam, neq; enim decebat, neq;
 ætas illa postulabat, neq; id quod animaduertere poteratis,
 pudor patiebatur optimi adolescentis, in tali illum oratio-
 ne uersari. Vellem aliquis ex uobis robustioribus hunc ma-
 ledicendi locum suscepisset: aliquanto liberius, & fortius,
 & magis more nostro refutarem istam maledicendi li-
 centiam. tecū, *Atracine*, agam lenius, quod & pudor tuus
 moderatur orationi meæ; & meum erga te, parentemque
 tuum beneficium tueri debeo. illud tamen te esse admoni-
 tum uolo: primū qualis es talem te * esse existimes: ut, quā-
 tum a rerum turpitudine abes; tantum te a uerborum liber-
 tate seiungas: deinde, ut ea in alterum ne dicas, quæ, cum
 tibi falso responsa sint, erubescas. quis est enim, cui uia ista
 non pateat? qui isti ætati non possit, quam uelit petulanter,
 etiam si sine ulla suspitione, at non sine argumento maledi-
 cere? Sed istarum partium culpa est eorum, qui te agere
 uoluerunt: laus pudoris tui, quod ea te inuitum dicere ui-
 debamus: ingenij, quod ornate, politeque dixisti. Verum ad
 istam omnem orationem breuis est defensio, nā quoad atas
M. Cælij dare potuit isti suspitioni locum, fuit primū ip-
 sius pudore, deinde etiam patris diligentia, disciplinaque
 munita: qui ut huic uirilem togam dedit, nihil d'eam hoc
 loco de me: tantum sit, quantum uos existimatis: hoc di-
 cam,

eam, hunc a patre continuo ad me esse deductū. nemo hunc M. Caelium in illō ætatis flore uidit, nisi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Crassi castissima domo, cum artibus honestissimis erudiretur. Nā quod Catilinæ familiaritas obiecta Cælio est, longe ab ista suspitione abhorreere debet. hoc enim adolescente, scitis consulum mecum petisse Catilinam, ad quem si accessit, aut si a me discessit umquā (quamquam multi boni adolescentes illi homini nequam, atque improbo studuerunt) tum existimetur Cælius Catilinæ nimium familiaris fuisse. At enim postea scimus, & uidimus esse hunc in illius amicis, quis negat? sed ego illud tempus ætatis, quod ipsum sua spē infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo. fuit assiduus mecum, prætor me non nouerat Catilinam: Africam tum prætor ille obtinebat: secutus est annus: causam de pecunijs repetendis Catilina dixit: mecum erat hic, illi ne aduocatus quidem uenit umquam. deinceps fuit annus, quo ego consulum petiui: petebat Catilina mecum: numquam ad illum accessit, a me numquam recessit. Tot igitur annos uersatus in foro sine suspitione, sine infamia, studuit Catilinæ, iterum petenti. quem ergo ad finem putas custodiendā illam ætatem fuisse? Nobis quidem olim annus erat unus ad cobibendum brachium toga constitutus, & ut exercitatione, ludoque campestri tunicati uteremur: eademq; erat, si statim mereri stipendia cõperamus, castræsis ratio, ac militaris, qua in ætate, nisi qui se ipse sua grauitate, & castimonia, & cum disciplina domestica, tum etiam naturali quodam bono defenderat, quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam ueram effugere non poterat. Sed, qui prima illa initia ætatis integra, atq; inuiolata perstiteret, de eius fama, ac pudicitia, cum is iam se corroborauisset, ac uir inter

P. B.

uiros esset, nemo loquebatur. Studuit Catilina, cum iam aliquot annos esset in foro Caelius, & multi hoc idem ex omni ordine, atq; ex omni aetate fecerunt, habuit enim ille, sicuti meminisse uos arbitror, per multa maximarum non expressa signa, sed adumbrata uirtutum. utebatur hominibus improbis multis; & quidē optimis se uiris de diuino esse simulabat. erant apud illū illecebra libidinum multa; erant etiam industria* quidam stimuli, ac laboris. flagrabant uitia libidinis apud illam; uigebant etiam studia rei militaris. neq; ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrarijs, diuersisq; inter se pugnantibus natura studijs, cupiditatibusq; conflatum. Quis clarioribus uiris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis tatrior hostis huic ciuitati? quis in uoluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effusior? Illa uero, iudices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, seruire temporibus suorum omnium, pecunia, gratia, labore corporis, scelerare etiam, si opus esset, & audacia uersare suam naturam, & regere ad tempus, atq; huc, & illuc torquere, & flectere. cum tristibus seuerare, cum remissis iucundare; cum senibus grauiter, cum iuuentute comiter; cum facinorosis audacter, cum libidinosi luxuriose uiuere. Hac ille tam uaria, multiplicique natura, cum omnes omnibus ex terris homines improbos, audacesq; collegerat; tum etiam multos fortes uiros, & bonos specie quadam uirtutis assimulata tenebat. neq; umquam ex illo delendi huius imperij tam sceleratus impetus extitisset, nisi tot uitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis, & patientia radicibus niteretur. Quare

P. 40.

ista

ista conditio, iudices, respuat, nec Catilinæ familiaritatis
 crimen hæreat. est enim commune cum multis & cum qui-
 busdam etiam bonis, me ipsum, me, inquam, quodam pene
 ille decepit, cum & civis mihi bonus, & optimi cuiusq; cu-
 pidus, & firmus amicus, & fidelis uideretur, cuius ego fa-
 cinora oculis prius, quam opinione, manibus ante, quam
 suspitione deprehendi, cuius in magnis cateruis amicorum,
 si fuit etiam Cælius, magis est, ut ipse moleste ferat, errasse
 se, sicut & nonnumquam in eodem homine me quoq; erro-
 ris mei penitet, quam ut istius amicitie crimē reformidet.
 Itaq; a maledictis pudicitia ad coniurationis invidiã ora-
 tio est uestra delapsa, posuistis enim, atq; id tamen tituban-
 ter & strictim, coniurationis hunc, propter amicitiam Ca-
 tilinæ, participem fuisse, in quo non modo crimen non hæ- P. B.
 rebat, sed uix disertis adolescentis coherabat oratio. Qui
 enim tantus furor in Cælio? quod tantum aut in moribus,
 naturaq; uulnus, aut in re, atq; fortuna? ubi deniq; in ista
 suspitione est Cælij nomen auditum? Nimum multa de re
 minime dubia loquor: hoc tamen dico, non modo si socius
 coniurationis, sed nisi inimicissimus istius scelevis fuisset,
 numquam coniurationis accusatione adolescentiam suam
 potissimum cõmendare uoluisset, quod, haud scio an de am-
 bitu, & de criminibus istius sodalium, ac sequestrum, quo-
 niam in hac incidi, similiter respondendum putem, numquam
 enim tam Cælius amens fuisset, ut si se isto infinito ambitu
 commaculasset, ambitus alterum accusaret, neq; enim eius
 facti in altero suspitionē quæreret, cuius ipse sibi perpetuã
 licentiam optaret: nec si sibi semel periculum ambitus sub-
 eundem putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine ar-
 cesseret, quod quamquam nec sapienter, & me inuito fa-
 cci, tamen est eiusmodi * cupiditatis, ut magis insectari al-

terius innocentiam, quam de se timide cogitare uideatur. Nam quod *as* alienum obiectum est, sumptus reprehensi tabula flagitat: uidete quam pauca respondeam. Tabulas qui in patris potestate est, nullas confecit: uersuram numquam omnino fecit ullam. Sumptus unius generis obiectus est, habitationis: triginta millibus dixistis eum habitare. Nunc demum intelligo, P. Clodij insulam esse uenalem, cuius hic in *ædiculis* habitet, decem, ut opinor, millibus: uos autem, dum illi placere uultis, ad tempus ei *médacium* uestrum accommodauistis. Reprehendistis, a patre quod *semigrarit*. quod quidem iam in hac etate minime reprehendendum est, qui, cum ex reip. causa esset mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam uictoriam consecutus, & per etatem magistratus petere posset; non modo permittente patre, sed etiam suadente, ab eo *semigravit*. & cum domus patris a foro longe abesset; quo facilius, & nostras obire domos, & ipse a suis coli posset, conduxit in palatio non magno domum. Quo loco possum dicere id, quod uir clarissimus, M. Crassus, cum de aduentu regis Ptolemæi quereretur, paullo ante dixit, " Utinam ne in nemore Pelio.

P. 41. Ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret: " Nam numquam *hera* errans hanc molestiam nobis exhiberet, " *Medea* animo *ægra*, amore *seuo* *saucia*. Sic enim, iudices, reperietis (quod, cum ad id loci uenero, ostendam) hanc *Palatinam Medeam*, migrationemq; huic adolescenti causam siue malorum omnium, siue potius sermonum fuisse. Quamobrem illa, quæ ex accusatorum oratione præmuni iam, & fingi intelligebam, fretus uestra prudentia, iudices, non pertimesco. Aiebant enim fore testem senatorem, qui se pontificijs comitijs pulsatum, a *Cælio* diceret, a quo queram, si proclerit. primū, cur statim nihil egerit? deinde, si id

si id quæri, quam agere maluerit, cur productus a uobis potius, quam ipse per se? cur tanto post potius, quam continuo, quæri maluerit? si mihi ad hæc acute, arguteq; respoderit, tum quæram deniq; ex quo iste fonte senator emanet: nam, si ipse oriatur, & nascetur ex sese, fortasse, ut soleo commouebor, sin autem ut riuulus accersitus, & ductus ab ipso capite accusationis uestrae, lætabor, cum tanta gratia, tantisq; opibus accusatio uestra nitatur, unum senatorem solum esse, qui uobis gratificari uellet, inuentum. Nec tamen illud genus alterum nocturnorum testium pertimesco. P. E. est enim dictum ab illis, fore, qui dicerent, uxores suas a cena redeunteis attrectatas esse a Cælio. graues erunt homines, qui hoc iurati dicere audeant: cum sit his confitendum, nunquam se ne congressu quidem, & constituto cœpisse de tantis iniurijs experiri. Sed totum genus oppugnationis huius, iudices, & iam prospicitis animis, & cum inferetur, propulsare debebitis: non enim ab iisdem accusatur M. Cælius, a quibus oppugnatur. palam in eum tela iaciuntur, clam subministrantur. Neq; id ego dico, ut inuidiosum sit in eos, quibus gloriosum hoc etiam esse debet. funguntur officio defendunt suos: faciunt, quod uiri fortissimi solent. læsi dolent, irati efferuntur, pugnant laceffiti. sed uestrae sapientiae tamen est, iudices, non si causa iusta est uiris fortibus oppugnandi M. Cælium, ideo uobis quoq; uos causam putare esse iustam, alieno dolori potius, quam uestrae fidei consulendi. Quæ sit multitudo in foro, quæ genera, quæ studia, quæ uarietas hominum, uidetis. ex hac copia, quæ multos esse arbitramini, qui hominibus potentibus, gratiosis, disertis, cum aliquid eos uelle arbitrentur, ultro se offerre soleant, operam nauare, testimonium polliceri: hoc ex genere si qui se in hoc iudicium forte proiecerint, excludito-

te eorum cupiditatem, iudices, sapientia uestra: ut eodem tempore huius saluti, & religioni uestra, & contra periculossimas hominum potētiās conditioni omnium ciuium prouidisse uideamini. Equidem uos abduam a testibus, neq; huius iudicij ueritatem, quae mutari nullo modo potest, in uoluntate testium collocari sinam: quae facillime fingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri potest. argumentis agemus: signis omni luce clarioribus crimina resellemus: res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit.

P. 42. Itaq; illam partem caussa facile patior grauius, & ornate a M. Crasso peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, & de bonis Pallaeuilem dictum esse, ab eodem etiam de Dione, de quo ipso tamen quid est, quod expectetis, quod is, qui fecit, aut non timet, aut etiam fatetur? Etenim reus, qui dictus est, & adiutor fuisse, & cōsciū, P. Ascitius, is iudicio est liberatus, quod igitur est huiusmodi crimen, ut, qui cōmisit, non neget; qui non negauit, absolutus sit: id hic pertimescat, qui non modo a facto, uerum etiam a conscientiae suspitione absit, & si Ascitio caussa plus profuit, quam nocuit inuidia; huic oberit tuum maledictum, qui istius facti non modo non suspitione, sed ne infamia quidem est aspersus? At praenariatione est Ascitius liberatus, per facile est isti loco respondere, mihi praesertim, a quo illa caussa defensa est, sed Caellius optimam caussam Ascitij esse arbitratur: cuiusmodi autem sit, a sua putat esse seiunctam: neq; solum Caellius, sed etiam adolēcentes humanissimi, & doctissimi, rectissimi studijs, atq; optimis artibus praediti, Titus, Caiusq; Copony, qui ex omnibus maxime Dionis mortem doluerunt, qui cum doctrina studio, atq; humanitate, in eam etiam hospitio Dionis tenebatur, habitabat is apud L. Luc-

ccium

ceum, ut audistis: fuerat ei cognitus Alexandria. quid aut
 hic, aut summo splendore praeditus frater eius, de M. Caelio
 existimet, ex ipsis si producti erunt, audietis. Ergo haec re-
 moueantur, ut aliquando, in quibus causa mittitur, ad ea ue-
 niamus. Animaduerti enim, iudices, audiri a vobis meum
 familiarem L. Herennium perattente. in quo etsi magna
 ex parte ingenio eius, & dicendi genere quodam teneba-
 mini; tamen nonnumquam verebar, ne illa subtiliter ad
 criminandum inducta oratio animos vestros sensim, ac le-
 niter accenderet. dixit enim multa de luxuria, multa de li-
 bidine, multa de vitij iuuentutis, multa de moribus: &
 qui in reliqua vita mitis esset, & in hac suauitate huma-
 nitatis, qua prope iam delectantur homines, uersari periu-
 cunde soleret, fuit in hac causa pertristis quidem patrius,
 censor, magister: obiurgauit M. Caelium, sicut neminem
 unquam parens: multa de incontinentia, intemperantiaq;
 disseruit. Quid queritis, iudices? ignoscebam vobis, attente
 audientibus; propterea quod egomet tam triste illud, &
 tam asperum genus orationis horrebam. Ac prima pars
 fuit illa, qua me minus monebat; fuisse meo necessario Be-
 stiae Caelium familiarem, cenasse apud eum, uentitasse do-
 mum, studuisse praeura. non me haec mouent, quae perspi-
 cue falsa sunt. etenim eos una cenasse dicit, qui aut absunt,
 aut quibus necesse est idem dicere. Neque uero illud me
 commouet, quod sibi in Lupercis sodalem esse Caelium
 dixit. fera quaedam sodalitas, & plane pastoritia, atque
 agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa
 siluestris ante est instituta, quam humanitas, atque leges:
 siquidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed
 etiam commemorant sodalitatem in accusando, ut ne quis,
 si id forte nesciat, timere uideatur. Sed hac omittam, ad
 illa,

illa, quae me magis mouerunt, respondebo. Deliciarum
 oburgatio fuit longa, & ea lenior; plusque disputatio-
 nis habuit, quam atrocitatis, quo etiam audita est atten-
 tius. nam P. Clodius, amicus meus, cum se grauissime, ue-
 hementissimeque iactaret, & omnia inflammatus age-
 ret tristissimis uerbis, uoce maxima, tamen si probabam
 eius eloquentiam; tamen non pertimescebam. aliquot enim
 in causis eum uideram frustra litigantem: tibi autem,
 Balbe, respondebo primum precario, si licet, si fas est de-
 fendere a me eum, qui nullum conuiuium renuerit, qui un-
 guenta sumpserit, qui Baias uiderit. Equidem multos &
 uidi in hac ciuitate, & audiui, non modo, qui primori-
 bus labris gustassent genus hoc uitae, & extremis, ut dicitur,
 digitis attigissent; sed, qui totam adolescentiam uolu-
 ptatibus dedissent, emeruisse aliquando, & se ad frugem
 bonam, ut dicitur, recepisse, grauesque homines,
 atque illustres fuisse, datur enim concessu omnium huic
 aliquis ludus aetatis, & ipsa natura profundit adolescenti-
 a cupiditates: quae si ita erumpunt, ut nullius uitam la-
 befactent, nullius domum euertant, faciles, & tolera-
 biles haberi solent. Sed tu mihi uidebare ex communi
 infamia iuuentutis aliquam inuidiam Caelio uelle con-
 flare. itaque omne illud silentium, quod est orationi tri-
 butum tuae, fuit ob eam causam, quod, uno reo proposito,
 de multorum uitis cogitabamus. Facile est accusare lu-
 xuriam: dies iam me deficiet, si, quae dici in eam senten-
 tiam possunt, coner expromere. de corruptelis, de adul-
 terijs, de proteruitate, de sumptibus, immersa oratio
 est: ut tibi reum neminem, sed uitia proponas, res ta-
 men ipsa & copiose, & grauius accusari potest. Sed ue-
 stra sapientia est, indices, non abduci ab reo, nec quos acu-
 leos

leos habeat seueritas, grauitasque uestra, cum eos accusator exerit in rem, in uitia, in mores, in tempora, emittere in hominem, & in reum, cum is non suo crimine, sed multorum uitio sit in quoddam odium iniustum uocatus. Itaque seueritati tuae, ut oporteret, ita respondere non audeo. erat enim meum deprecari uacationem adolescentiae, ueniamque petere: non, inquam, audeo: per fugijs non utor etatis: concessa omnibus iura dimitto: tantum peto, ut, si qua est inuidia communis hoc tempore aeris alieni, petulantiae, libidinum iuuentutis, quam uideo esse magnam, ne huic aliena peccata, ne etatis, ac temporum uitia noceant. Atque ego idem, qui haec postulo, quin criminibus, quae in hunc proprie conferuntur, diligentissime respondeam, non recuso. Sunt autem duo crimina, auri, & ueneni; in quibus una, atque eadem persona uersatur. Aurum sumptum a Clodia; uenenum quaesitum, quod Clodia daretur, dicitur. omnia sunt alia non crimina, sed maledicta uirgij petulantis magis, quam publicae quaestionis. adulter, impudicus, sequester, conuicium est, non accusatio. nullum est enim fundamentum horum criminum, nulla sedes, uoces sunt contumeliosa, temere ab irato accusatore nullo auctore emissae. Horum duorum criminum uideo fontem, uideo auctorem, uideo certum nomen, & caput. auro opus fuit: sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste; habuit, quamdiu uoluit. maximum uideo signum cuiusdam egregiae familiaritatis. necare eandem uoluit, quae fuit uenenum, sollicitauit quos potuit, parauit locum, constituit, attulit. magnam rursus odium uideo cum crudelissimo* dissidio extitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota: de qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causa. sed intelligis pro tua

praestanti prudentia, Cn. Domiti cū hac sola rem esse nobis:
 quæ si se aurum Cælio commodasse non dicit, si uenenum
 ab hoc sibi paratum esse non arguit, petulanter facimus: si
 P. 44. matrem familias secus, quam matronarum sanctitas pos-
 tulat, nominamus: sin, ista muliere remota, nec crimen ul-
 lum, nec opes ad oppugnandum Cælium illis relinquentur,
 quid est aliud, quod nos patroni facere debeamus, nisi ut
 eos, qui insectantur, repellamus? quod quidem facerem
 uehementius, nisi intercederent mihi inimicitia cum istius
 mulieris uiro: fratrem uolui dicere: semper hic erro. nunc
 agam, modice, nec longius progrediar, quam me mea fi-
 fides, & causa ipsa coget. neque enim muliebres im-
 quam inimicitias mihi gerendas putauit, præsertim cum
 ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quam
 cuiusquam inimicam putauerunt. sed tamen ex ipsa que-
 ram prius, utrum me secum seuerè, & grauitè, & prisce
 agere malit, an remisse, ac lenitè, & urbane. si illo auste-
 ro more, ac modo; aliquis mihi ab inferis excitandus est,
 ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista deletatur, sed
 illa horrida, quam in statuis antiquis, & imaginibus uide-
 mus, qui obiurgat mulierem, & pro me loquatur, ne ista
 mihi forte succenseat. Exsistat igitur ex hac ipsa familia
 aliquis, ac potissimum cæcus ille. minimum enim dolorem
 capiet, qui istam non uidebit. qui profecto si exstiterit, sic
 aget, & sic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cælio? quid
 cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tam
 familiaris huic fuisti, ut aurum commodares; aut tam ini-
 mica, ut uenenum timeres? non patrem tuum uideras, non
 patruum, non auum, proauum, et auum audieras consules
 fuisse: non deniq; modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse
 sciebas, clarissimi, & fortissimi uiri, patri eq; amanti sumi,

qui simul ac pedem limine extulerat, omnes prope ciues uir-
tute, gloria, dignitate superabat? cui cum ex amplissimo P. B.
genere in familiam clarissimam nupsisses; cur tibi Caelius
tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? uiri tui familiaris?
nihil horum. quid igitur fuit, nisi quadam temeritas, ac libido?
nonne te, si nostrae imagines uiriles non commouebant, ne
progenies quidem mea, Quilla Claudia emulam domesti-
cae laudis in gloria muliebri esse admonebat? non uirgo illa
Vestalis Claudia, quae patrem complexa triumphantem, ab
inimico tribuno plebis de curru detrabi passa non est? cur
te fraterna uitia potius, quam bona paterna, & auita
& usque a uobis cum in uiris, tum etiam in feminis repe-
petita mouerunt? ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu
amorum turpissimorum quotidie fader a ferires? ideo aquam
adduxi, ut ea tu inceste uterere? ideo uiam munui, ut eam
tu alienis uiris comitata celebrares? Sed quid ego, iudi-
ces, ita grauem personam induxi, ut & uerear, ne se idem
Appius repente conuertat, & Caelium incipiat accusare
illa sua grauitate censoria? Sed uidero hoc posterius, at-
que ita iudices, ut uel seuerissimis disceptatoribus M. Coe-
lij uitam me probaturum esse confidam. Tu modo mulier
(iam enim ipse tecum, nulla persona introducta, loquor)
si ea, quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae moliris,
quae arguis, probare cogitas; rationem tanta familiarita-
tis, tanta consuetudinis, tanta coniunctionis reddas, atque
exponas, necesse est. accusatores quidem libidines, amores,
adulteria, Baij's aeta conuiuia, comestationes, cantus sym-
phonias, nauigia iactant; ijdemque significant, nihil se, te in-
uita, dicere, quae tu, quoniam mente nescio qua effrenata,
atque praecipiti in forum deferri, iudiciumque uoluisti, aut diluas
oportet, & falsa esse doceas; aut nihil neque; crimini tuo, neque
te

testimonio credendum esse fateare. Sin autem urbanus
 P. 45. me agere mauis, sic agam tecum: remouebo illum senem
 durum, ac pene agrestem, ex hisq; tuis sumam aliquem,
 ac potissimum minimū fratrem tuum, qui est in illo genere
 urbanissimus, qui te amat plurimum, qui propter nescio
 quam, credo, timiditatem, & nocturnos quosdā inanes me-
 tus tecum semper pugio cum maiore sorore cubitauit. cum
 putato tecum loqui. Quid tumultuaris soror? quid insanis?
 *quid clamore exorsa, uerbis paruam rem magnam facis?
 uicinum adolescentulum aspexisti: candor huius te, & pro-
 ceritas uultus, oculiq; perpulerunt: sapius uidere uoluisti.
 fuisi nonnumquam in iisdem hortis uisa nobilis mulier: il-
 lum filium familias patre parco, ac tenaci, habere tuis co-
 pijs deuinctum non potes: calcitrat, respuit, non putat tua
 dona esse tanti. confer te alio. habes hortos ad Tiberim. ac
 diligenter eo loco *preparasti, quo omnis iuuentus natandi
 caussa uenit. hinc licet conditiones quotidie legas. cur huic
 qui te spernit, molesta es? Redeo nunc ad te, Cœli uicissim,
 ac mihi auctoritatem patriam, seueritatemq; suscipio: sed
 dubito, quem patrem potissimum sumam. Cæcilianum me
 aliquem, uehementem, atq; durum? "Nunc enim demum
 mihi animus ardet, nunc meum cor cummulatur ira: an illi,
 "O infelix, o scelestè. Ferrei sunt isti patres." Egone quid
 dicam? egone quid uelim? quæ tu omnia tuis fœdis factis
 facis, ut nequidquam uelim. *Vix ferenda diceret talis pa-
 ter; Cur te in istam uicinitatem meretriciam contulisti?
 cur, illecebris cognitis, non refugiisti? cur alienam ullam
 mulierem nostræ dede te, ac disijce, per me licet. si egebis,
 tibi dolebit: mihi sat est, qui atatis, quod reliquum est, oble-
 ctum meo. Huic tristi, ac *decrepito seni responderet Cæ-
 P. B. lius, se nulla cupiditate inductū de uia decessisse. quid signifi-
 nulli

nulli sumptus, nulla iactura, nulla uersura. At fuit fama.
 quotus quisq; istam effugere potest in tam maledica ciui-
 tate? uicinum eius mulieris miraris male audisse; cuius
 frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit?
 Leni uero, & clementi patri, cuiusmodi ille est: "Fores ef-
 fregit? restituentur: discidit uestem? refarcietur: Cælij causa
 est expeditissima. Quid enim esset, in quo se nõ facile defen-
 deret? Nihil iam in istam mulierem dico: sed, si esset aliqua
 dissimilis istius, qui se omnibus peruisgaret; quæ haberet
 palam decretum semper aliquem, cuius in hortos, domum,
 Baias, iure suo libidines omnium commearent; quæ etiam
 aleret adolescentes, & parsimoniã patrum suis sumptibus
 sustentaret: si inuidia libere, proterua petulãter, diues effuse
 libidiosa meretricio more uiueret: adulterum ego puta-
 rem, si quis hanc paulo liberius salutasset? Dicit aliquis,
 Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolecẽtes? ob
 hanc causam tibi hunc puerum parens commendauit, &
 tradidit, ut in amore, & uoluptatibus adolescentiam suam
 collocaret,* & hanc tu uitam, atq; hæc studia defenderes?
 Ego, si quis, iudices hoc robore animi, atq; hac indole uir-
 tutis, ac continentia fuit, ut respueret omnes uoluptates,
 omnemq; uitæ suæ cursum in labore corporis atq; in animi
 contentione conficeret: quem non quies, non remissio, non
 æqualium studia, non ludi, non conuiuia delectarent: nihil
 in uitæ expetendum putaret, nisi quod esset cum laude, &
 cum dignitate coniunctum; hunc mea sententia diuinis qui-
 busdam bonis instructum, atq; ornatum puto. Ex hoc ge-
 nere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios, om-
 nesq; eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt. Verum hæc
 genera uirtutum non solum in moribus nostris, sed uix iam
 in libris reperiuntur. charta quoque, quæ illam pristinam p. 46.
 seu

seueritatem continebant, obsoluerunt: neq; solum apud nos, qui hanc sectam, rationemq; uitae re magis, quã uerbis secuti sumus, sed etiam apud Græcos, doctissimos homines, quibus, cum facere non possent, loqui tamen, & scribere honeste, & magnifice licebat. Alia quaedam, mutatis Græcia temporibus, præcepta exstiterunt. Itaq; alij uoluptatis causa omnia sapientes facere dixerunt: neq; ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt. alij cum uoluptate dignitatem coniungendam putauerunt, ut res maxime inter se repugnantes dicendi facultate cõiungerent. illud unum ad laudem cum labore directum iter qui probauerunt, prope iam soli in scholis sunt relictæ. multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita uirtus conuieret: & interdũ multas uias adolescentia lubricas ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolaptione uix possit: & multarum rerum iucundissimarum uarietatem dedit, qua non modo hæc ætas, sed etiã iam corroboreta caperetur. Quamobrem, si quem forte inueneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non sapore capiat, excludat auribus omnem suauitatem: huic homini ego fortassis, & pauci deos propitios, pleriq; autem iratos putabunt. Ergo hæc deserta uia, & inculta, atq; interclusa iam frondibus, & uirgulis relinquatur: detur aliquid ætati: sit adolescentia liberior: non omnia uoluptatibus denegentur: non semper superet uera illa, & directa ratio: uincat aliquando cupiditas, uoluptasque rationem; dummodo illa in hoc genere

P. B. præscriptio, moderatioq; teneatur: parcat iuuentus pudicitia suã, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fenore trucidetur, ne incurrat in alterius domum, atq; famam, ne probum castis, labem integris, infamiam bonis

inferat

inferat, ne quem * interimat, nec intersit insidijs, scelere careat: postremo, cum paruerit uoluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum atatis, atque inaneis haece adolescentiæ cupiditates, reuocet se aliquando ad curam rei domesticæ, rei forensis, reipublicæ, ut ea, quæ ratione antea non perspexerat, satietate abiectis, experiendo contempnisset uideatur. Ac multi, & nostra, & patrum, maiorumq; memoria, iudices, summi homines, & clarissimi ciues fuerunt, quorum cum adolescentiæ cupiditates defuerbuissent, eximie uirtutes, firmata iam ætate, exstiterunt, ex quibus neminem mihi necesse est nominare. uosmet uobiscum recordamini. nolo enim cuiusquam fortis, atq; illustris uiri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. quod si facere uellem, multi a me summi, atque ornatissimi uiri prædicarentur, quorum partim nimia libertas in adolescentiâ, partim profusa luxuries, magnitudo æris alieni, *sumptus, libidines nominarentur: quæ multis postea uirtutibus obiecta, adolescentiæ, qui uellet, excusatione defenderet. At uero in M. Celio (dicam enim iam confidentius de studijs eius honestis: quoniam audeo quadam, fretus uestra sapientia, libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum ac *lustrorum libido, quod quidem uitium uentris, & gutturis non modo non minuit ætas hominibus, sed etiam auget. Amores autem, & hæc delitiæ quæ uocantur, quæ firmiore animo præditis diutius molesta non solent esse (mature enim, & celeriter deflorescunt) numquã hunc occupatum, impeditumq; tenuerunt. Audistis, cum pro se diceret: audistis antea, cum accusaret: defendendi hæc causa, non gloriandi loquor. genus orationis, facultatem, copiam sententiarum, atque uerborum, quæ uestra prudentia est, perspexitis.

xistis. Atque in eo non solum ingenium elucere eius uidebatur: quod saepe, etiamsi industria non alitur, ualet tamen ipsum suis uiribus; sed inerat (nisi me propter beneuolentiam forte fallebat) oratio & bonis artibus instituta, & cura, & uigilijs elaborata. Atque scitote, iudices, eas cupiditates, qua obijciuntur Caelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia, inopia etiam nonnumquam impeditus, hoc, quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, uerum etiam cogitando possit sustinere. An uos aliam causam esse ulla putatis, cur in tantis premijs eloquentiae, tanta uoluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam sint pauci, semperque fuerint, qui in hoc labore uersentur? * Omittenda sunt omnes uoluptates: relinquenda studia delectationis: ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam * pene omnium familiarium deserendus. quae res in hoc genere homines a labore, studioque dicendi deterret; non quo aut ingenia deficient, aut doctrina puerilis. An hic, si sese isti uita dedisset, consularem hominem admodum adolescens in iudicium uocauisset? hic, si laborem fugeret, si obstrictus uoluptatibus teneretur, in hac acie quotidie uersaretur? appeteret inimicitias? in iudicium uocaret? subiret periculum capitis? ipso inspectante populo Romano, tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret? Nihil igitur illa uicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiæ denique ipsa loquuntur? illa uero non loquuntur solum, uerum etiam personant, huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem, ac tenebras, atque haec flagitiorum integumenta non querat, sed in turpissimis rebus frequentissi-

ma celebritate, & clarissima luce latetur. Verum, si quis est, qui etiam meretricijs amoribus interdictum iuuentuti putet; est ille quidem ualde seuerus; negare non possum: sed abhorret non modo ab huius seculi licentia, uerum etiam a maiorum consuetudine, atque concessis. quando enim hoc non factum est? quando reprehensum? quando non permis- sum? quando deniq; fuit, ut, quod licet, non liceret? Hic ego iam rem desinam, mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam. Si qua non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati, palamq; sese in meretricia uita collocarit, uiro- rum alienissimorum conuiuijs uti instituerit: si hoc in urbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciet: si deniq; ita sese geret, non in sessu solum, sed ornatu, atq; comitatu: non flagrantia oculorum, non libertate sermonis, sed etiam complexu, osculatione, aquis, nauigatione, conuiuijs, ut non solum meretrix, sed etiam * pro- cax uideatur: cum hac si quis adolescens forte fuerit, utrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator; expugnare pudicitiam, an explere libidinem uoluisse uideatur? Obluiscor iam * iniurias, Clodia: depono memoriam doloris mei: quae abs te crudeliter in meos, me absente facta sunt, negligo: ne sint haec in te dicta, quae dixi: sed ex te ipsa requiro, quoniam & crimen accusatores abs te, & testem eius criminis te ipsam dicunt se habere: si qua mulier sit huiusmodi, qualem ego paullo ante descripsi, tui dissimilis, uita, institutoq; meretricio, cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe, aut perflagitiosum esse uideatur? Ea si tu non es, sicut ego malo, quid est, quod obijciant Coelio? sin eam te uolunt esse: quid est, cur nos crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus? Quare nobis da- niam, rationemque defensionis, nam aut pudor tuus defen-

h h h

det,

det, nihil a M. Caelio petulantius esse factum; aut impudentia & huic, & ceteris magnam ad se defendendum facultatem dabit. Sed, quoniam emerfisse iam e uadis, & scopulos praeuertea uidetur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Duo sunt enim crimina una in muliere summorum facinorum: auri, quod sumptum a Clodia dicitur: & ueneni, quod eiusdem Clodiae necandae causa parasse Caelium criminantur. Aurum sumpsit, ut dicitis, quod L. Lucceij seruis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Magnum crimen uel in legatis *insidiandis, uel in seruis, ad hospitem domi necandum sollicitandis: plenum sceleris consilium, plenum audaciae. Quo quidem in crimine primum illud requiram, dixeritne Clodia, quam ad rem aurum tum sumeret, an non dixerit: si non dixit, cur dedit? si dixit, eodem se conscientiae scelere deuinxit. Tunc aurum ex armario tuo promere ausa es? tunc Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis? Ceterum, cum scires, quantum ad facinus aurum hoc quaeretur, ad necem scilicet legati, ad L. Lucceij sanctissimi hominis, atque integerrimi labem sceleris sempiterni, huic facinori tanto tua mens liberalis conscia tua domus popularis ministra, tua denique hospitalis illa Venus adiutrix esse non debuit. Vidit hoc Balbus: facinoris tantum celatam esse Clodiam dixit, atque ita Caelium ad illam attulisse, se ad ornatum ludorum aurum quaerere. Si tam familiaris erat Clodia, quam tu esse uis, cum de libidine eius tam multa dicit; dixit profecto, quouellet aurum: si tam familiaris non erat, non dedit. Ita, si uerum tibi Caelius dixit, o immoderata mulier, sciens tu aurum ad facinus dedisti? si non est ausus dicere, non dedisti. Quid ego nunc argumentis huic crimini, quae sunt

P.B.

in numerabilia, resistam: possum dicere, mores M. Cœlij longissime a tanti sceleris atrocitate esse distinctos: minime esse credendum homini tam ingenioso, tamq; prudenti non uenisse in mentem rem tanti sceleris ignotis, alienisque seruis non esse credendam. Possum etiam illa & ceterorum patronorum, & mea consuetudine ab accusatore perquirere, ubi sit congressus cum seruis Lucceij Cœlius: qui ei fuerit aditus: si per se, qua temeritate? si per aliū, per quem? possum omnes latebras suspicionum peragrarè dicendo: nō causa, non locus, non facultas, non conscius, nō perficendi, non occultandi maleficij spes, non ratio ulla, non uestigium maximi facinoris reperietur. Sed hæc, quæ sunt oratoris propria, quæ mihi non propter ingenium meum, sed propter hanc exercitationem, usumq; dicēdi fructum aliquem ferre potuissent, cum a me ipso* laborata proferri uiderentur, breuitatis causa relinquo omnia. Habeo enim, iudices, quem uos socium uestre religionis, iurisq; iurandi facile esse patiemini, L. Lucceium sanctissimum hominem, & grauissimum testem: qui tantum facinus in famam, atq; for-

P. 49.

tunas suas neq; non audisset illatum à Cœlio, neq; neglexisset, neq; tulisset. An ille uir, illa humanitate præditus, illis studijs, artibus, atq; doctrina, illius ipsius periculum, quem propter hæc ipsa studia diligebat, negligere potuisset? & quod facinus* in alienum hominem illarum seuerè acciperet, id omisisset curare in hospite? quod per ignotos actum * cum comperisset, doleret, id a suis tentatum esse negligeret? quod in agris, locisue publicis factum reprehenderet, id in urbe, ac suæ domi ceptum esse, leuiter ferret? quod in alicuius agrestis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in insidijs doctissimi hominis dissimulandam putaret? Sed cur diutius uos, iudices, teneo? ipsius iurati reli-

* Luccij. gionem, auctora atemq; percipite, atq; omnia diligenter
 TESTI- testimonij uerba cognoscite, Recita testimonium* Luceij.
 MONIV M Quid exspectatis amplius? an aliquam uocem putatis ip-
 LVCEI. sam pro se causam, & ueritatem posse mittere? hac est in-
 Quid nocentia defensio, hac ipsius causa oratio, hac una uox ue-
 ritatis. in crimine ipso nulla suspicio est, & in re nihil est
 argumenti: in negotio, quod actum esse dicitur, nullum ue-
 stigium sermonis, loci, temporis: nemo testis, nemo cōsciens,
 nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex infami,
 ex crudeli, ex facinorosa, ex libidinosa domo: domus au-
 tem illa, qua tentata scelere isto nefario dicitur, plena est
 integritatis, officij, religionis: ex qua domo recitatur uobis
 iureiurando deuincta auctoritas: ut res minime dubia* in
 contentione ponatur, utrum temeraria, procax, irata mu-
 lier finxisse crimen, an grauis, sapiens, moderatusq; uir reli-
 giose testimonium dixisse uideatur. Reliquum est igitur
 crimen de ueneno: cuius ego neq; principium inuenire, neq;
 P. B. euoluere exitū possum. Qua fuit enim causa, quam obrem
 isti mulieri uenenum uellet dare Caelius? ne aurum redde-
 ret? num pctiuit? ne crimen haberet? num quis obiecit? num
 quis deniq; fecisset mentionem, si hic nemini nomen detu-
 lisset? Quin etiam Herennium dicere audistis, uerbo se mo-
 lestum non futurum fuisse Caelio, nisi, iterum eadem de re
 suo familiari absoluto, nomen hic detulisset. Credibile est
 igitur, tantum facinus nullam ob causam esse commissum?
 & uos non uidetis fingi sceleris maximi crimen, ut alie-
 rius causa sceleris suscipiendi fuisse uideatur? Cui deniq;
 commissu? quo adiutore usus est? quo socio? quo conscio? cui
 tantum facinus, cui se, cui salutem suam credidit, seruisse
 mulieris? sic enim obiectum est: & erat tam demens hic,
 cui uos ingenium certe tribuitis, etiam si cetera inimica
 ora

oratione detrabitur, ut omnes suas fortunas alienis seruis
 uis committeret? at quibus seruis? refert enim magnopere
 id ipsum: hisne, quos intelligebat, non communi conditione
 seruitutis uti, sed licentius, liberius, familiarius cum domi-
 na uiuere? quis enim hoc non uidet, iudices? aut quis hoc
 ignorat, in eiusmodi domo, in qua mater familias meretricio
 more uiuat, in qua nihil geratur, quod foras proferen-
 dum sit, in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique
 inaudita uitia, atque flagitia uersentur; hic seruos non esse
 seruos? quibus omnia committantur, per quos gerantur,
 qui uersentur iisdem in uoluptatibus, quibus occulta cre-
 dantur, ad quos aliquantum etiam ex quotidianis sumpti-
 bus, ac luxuria redundet? Id igitur Caelius non uidebat? si
 enim tam familiaris erat mulieris, quam uos uultis, istos
 quoque seruos familiares esse dominae sciebat. sin ei tanta
 consuetudo, quanta a uobis inducitur, non erat; quae cum
 seruis potuit familiaritas esse tanta? Ipsius autem ueneni
 quae ratio fingitur? ubi quaesitum est? quemadmodum par-
 ratum? quo pacto? cui? quo in loco traditum? habuisse aiunt
 domi, uimque eius esse expertum in seruo quodam, ad rem
 ipsam paratos; cuius perceleris interitu esse ab hoc compro-
 batum uenenum. Pro dii immortales, cur interdum in ho-
 minum sceleribus maximis, aut conuictis, aut praesentis
 fraudis poenas in diem reseruatis? Vidi enim, uidi: & illū
 hausi dolorem uel acerbissimum in uita, cum Q. Metellus
 abstraheretur e sinu, gremioque patriae: cumque ille uir,
 qui se natum huic imperio putauit, tertio die post, quam
 in curia, in rostris, in repub. floruisse, integerrima atate,
 optimo habitu, maximis uiribus, eriperetur indignissime
 bonis omnibus, atque uniuerse ciuitati. Quo quidem tem-
 pore ille moriens, cum iam ceteris ex partibus oppressa

mens esset, extremum sensum ad memoriam reipub. refer-
 uabat: cum, me intuens stentem, significabat interruptis,
 atq; morientibus uocibus, quanta impenderet procella ur-
 bi, quanta tempestas ciuitati: & cum parietem saepe fe-
 riens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebo
 Catulum saepe me, sapissime rempubl. nominabat: ut non
 tam se emori, quam spoliari suo praesidio cum patriam,
 tum etiam me doleret. Quem quidem uirum si nulla uis
 repentini sceleris sustulisset, * quonam modo ille furenti
 fratri suo patrueli consularis restitisset, qui consul incipi-
 entem furere, atque conantem, sua se manu interfectu-
 rum, audiente senatu, dixerit? Ex hac igitur domo pro-
 gressa ista mulier de ueneni celeritate dicere audebit? non-
 ne ipsam domum metuet, ne quam uocem * eliciat? non pa-
 rietes conscios, non noctem illam funestam, ac luctuosam per-
 r. B. horrescet? Sed reuertar ad crimen. * Sed enim haec facta il-
 lius clarissimi, ac fortissimi uiri mentio, & uocem meam
 fletu debilitauit, & mentem dolore impediuit. Sed tamen
 uenenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, non di-
 citur. datum esse hoc aiunt P. Licinio, pudenti adolescenti,
 & bono, Caelij familiarum. * constitutum factum esse cum
 seruis, ut uenirent ad balneas Xenias: eodem Licinium
 esse uenturum, atque ijs ueneni pyxidem traditurum. Hic
 primum illud requiro, quid attinuerit illud ferri in eum
 locum constitutum? cur illi serui non ad Caelium domum
 uenerint? si manebat tanta illa consuetudo Caelij cum Clo-
 dia, tantaque familiaritas: quid suspicionis esset, si apud
 Caelium mulieris seruus uisus esset? sin autem iam suberat
 simultas, extincta erat consuetudo, discidium exstiterat;
 hinc illa lacryma nimirum, & haec causa est horum om-
 nium scelerum, atq; criminum. Immo, inquit, cum serui ad
 dom

dominam rem istam, & maleficium Cælij detulissent; mulier ingeniosa præcepit suis, ut omnia Cælio pollicerentur: sed ut uenenum, cum a Licinio traderetur, manifesto comprehendi posset, constitui locum iussit balneas Xenias, ut eo mitteret amicos, qui delitescerent; deinde repente, cum uenisset Licinius, uenenumq; traderet, prosilierent, hominemque comprehenderent. Quæ quidem omnia, iudices, perfacilem rationem habent reprehendendi. cur enim balneas publicas potissimum constituerat? in quibus non inuenio, quæ latebra togatis hominibus esse possit: nam, si essent in uestibulo balnearum, non laterent, sin se in intimum conijcere uellent, nec satis commode calceati, & uestiti id facere possent, & fortasse non reciperentur: nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Atq; equidem uehementer expectabam, quinam isti uiri boni, testes huius manifesto deprehensi ueneni dicerentur. nulli enim sunt adhuc nominati. sed non dubito, quin sint pergræues, qui primum sint talis femina familiares: deinde eam prouinciam susceperint, ut in balneas contruderentur: quod illa nisi a uiris honestissimis, ac plenissimis dignitatis, quam uelit, sit potens, numquam impetrauisset. Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? uirtutem eorum, diligentiamq; cognoscite. in balneis delituerunt. testeis egregios deinde temere prosiluerint. homines grauitati deditos. sic enim fingunt, cum Licinius uenisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, tum repente euolasse istos præclaros testes sine nomine: Licinium autem, cum iam manum ad tradendam pyxidem porrexisset, retraxisse, atq; illo repentino hominum impetu se in fugam coniecisse. O magna uis ueritatis, quæ contra hominum inge-

nia, calliditatem, solertiam, contraq; fides omniū insidias, facile se per seipsam defendat. Verum hæc tota fabula ueteris, & plurimarum fabularum poetria, quam est sine argumento? quam nullum inuenire exitum potest? Quid enim isti tot uiri (nam necesse est fuisse non paucos, ut & comprehendi Licinius facile posset; & res multorū oculis esset testator) cur Licinium de manibus amiserunt? qui minus enim Licinius cōprehendi potuit, cum se retraxit, ne pixidem traderet, quam, si nō retraxisset? erant enim illi positi, ut comprehenderent Licinium: ut manifesto Licinius teneretur; aut, cum retineret uenenum, aut, cum tradidisset, hoc fuit totum consiliū mulieris, hæc istorum prouincia, qui rogati sunt: quos quidē tu quam obrem temere profuisse di-

P. B. cas, atq; ante tēpus, non reperio. fuerāt hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, ut uenenu, ut insidia, facinus deniq; ipsum ut manifesto cōprehenderetur, potueruntne meliori tempore profiltre, quā, cum Licinius uenisset? cum in manu teneret ueneni pixidem? quæ si, cum iam erat tradita seruis, euasisent subito ex balneis mulieris amici, Liciniumq; comprehēdisent: imploraret hominū fidem, atq; a se illam pixidam traditā pernegaret, quem quomodo illi reprehenderent? uidisse se dicerent? primū ad se reuocarent maximi facinoris crimen: deinde id se uidisse dicerent, quod, quo loco collocati fuissent, non potuissent uidere. Tēpore igitur ipso se ostenderunt cū Licinius uenisset, pixidem expediret manum porrigeret, uenenum traderet. Mimi ergo est iā exitus, non fabulæ, in quo cū clausula non inuenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabella concrepant, aulaē tollitur. Quæro enim, cur Liciniū titubantem, ha sitantem, cedentem, fugere conantē, * mulieraria manus ista de manibus emisserit? cur non comprehenderint? cur non ipsius confessionē mul-

torum

torum oculis, facinoris denique, uoce, tanti sceleris crimen
 expreserint? an timebant, ne tot unum, ualentes imbecil-
 lum, alacres perterritum superare non possent? Nullum
 argumentum in re, nulla suspicio in causa, nullus exitus
 criminis reperietur. Itaque hæc causa ab argumentis, a
 coniectura, ab ijs signis, quibus ueritas illustrari, solet ad
 testes tota traducta est. Quos quidem ego testes, indi-
 ces, non modo sine ullo timore, sed etiam cum aliqua spe
 delectationis expecto. prægestit animus iam uidere, pri-
 mum lautos iuuenes mulieris beata, ac nobilis familiares;
 deinde fortes uiros ab imperatrice in insidijs, atque in
 praesidio balnearum locatos, ex quibus requiram, quo-
 nam modo latuerint? aut ubi? alueusne ille, an equus Tro-
 ianus fuerit, qui tot inuictos uiros muliebri bellum ge-
 rentes tulerit, ac texerit? illud uero respondere cogam, cur
 tot uiri, ac tales hunc, & unum, & tam imbecillum, quam
 uidetis, non aut stantem comprehenderint, aut fugientem
 consecuti sint: qui se nunquam profecto, si istum in lo-
 cum processerint, explicabunt. quam uolent in conuiujs
 faceri, dicaces, nonnunquam etiam ad uinum deserti sint:
 alia fori uis est; alia triclinij; alia subselliorum ratio, alia
 lectorum; non idem indicum, comissatorumque conspe-
 ctus: lux denique longe alia est solis, & lychnorum. Quam-
 obrem excutiemus omnes istorum delicias, omnes ineptias,
 si prodierint. sed, si me audiant, nauent aliam operam,
 aliam ineam gratiam, in alijs se rebus ostentent: uigeant
 apud istam mulierem uenustate: domimentur sumptibus:
 hareant, iaceant, deseruiant: capiti uero innocenti, & for-
 tunis parcant. At sunt serui illi de cognatorum sententia
 nobilissimorum, & clarissimorum hominum manumissi.
 Tandem aliquid inueniemus, quod ista mulier de suorum

P. 52.

propinquorum fortissimorum uirorum sententia, atque auctoritate fecisse dicatur. Sed scire cupio, quid habeat argumenti ista manumissio, in qua aut crimen est Caelio quaesitum; aut quaestio subleuata; aut multarum rerum conscijs seruis, cum caussa praemium persolutum. At propinquis placuit, cur non placeret? cum rem tute ad eos non ab alijs tibi allatam; sed a te ipsa compertam de ferre diceret? Hic etiam miramur, si illam commentitiam pyxidem obscaenissima sit fabula consecuta? Nihil est, quod in eiusmodi mulierem non cadere uideatur. * audita, & peruulgata, & percelebrata sermonibus res est. Percipitis animis, iudices, iam dudum quid uelim, uel potius, quid nolim dicere. Quod etiam si est factum, certe a Caelio non est factum, quid enim attinebat? est enim ab aliquo fortasse adolescente non tam insulso, quam non uere cundo. Sin autem est fictum: non illud quidem molestum, sed tamen non est infacetum mendacium. Quod profecto numquam hominum sermo, atque opinio comprobasset, nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare uiderentur. Dicta est a me caussa, iudices, & perorata. iam intelligitis, quantum iudicium sustineatis, quanta res sit commissa uobis, de uiqueritis, quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armata dissensione ciuium, reipublica pene extremis temporibus tulit: quaeque lex, se data illa flamma consulatus mei, sumanis reliquias coniurationis extinxit. hac enim lege, Caelij adolescentia non ad reipublicae poenas, sed ad mulieris libidines, & delicias depositur. Atque hoc etiam loco M. Camurii, & Ceferni damnatio praedicatur. O stultitiam! stultiamne dicam, an impudentiam singularem? audetisne, cum ab ea muliere ueniat

niatis, facere istorum hominum mentionem? audentisne ex-
 citare tanti flagitij memoriam, non extinctam illam qui-
 dem, sed repressam uetustate? Quo enim illi crimine, pec-
 catoque perierunt? nempe, quod eiusdem mulieris dolo-
 rem, & iniuriam Vettiano nefario sunt stupro persecuti.
 Ergo, ut audiretur Vettij nomen in causa, ut illa uetus
 * Afrania fabula refricaretur, idcirco Camurri, & Ceser-
 ni causa est renouata? qui, quamquam lege de ui certe non
 tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nul- P. 53.
 lius legis laqueis emittendi uiderentur. M. uero Coelius
 cur in hoc iudicium uocatur? cui neque proprium quastio-
 nis crimen obijcitur, nec uero aliquid eiusmodi, quod sit
 a lege seiunctum, & cum uestra seueritate coniunctum.
 cuius prima etas dedita disciplinis fuit, ijsq; artibus, qui-
 bus instruimur ad hunc usum forensem, ad capeffendam
 rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem. ijs autem
 fuit amicitijs maiorum natu, quorum imitari industriam,
 continentiamque maxime uelit: ijs aequalium studijs, ut
 eundem, quem optimi, ac nobilissimi petere cursum laudis
 uideretur. Cum autem paullum iam roboris accessisset a-
 tati, in Africam profectus est, Q. Pompeio proconsuli
 contubernalis, castissimo uiro, atque omnis officij diligen-
 tissimo: in qua prouincia cum res erant, & possessiones
 paterna, tum etiam usus quidam prouincialis, non sine
 causa a maioribus huic etati tributus. discessit illinc Po-
 peij iudicio probatissimus, ut ipsius testimonio cognosce-
 tis. uoluit uetere instituto, eorum adolescentium exemplo,
 qui post in ciuitate summi uiri, & clarissimi ciues existi-
 terunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua illu-
 stri accusatione cognosci. Vellem alio potius eum cupidi-
 tas gloria detulisset: sed abiit huius tempus querela, accu-
 sauit

sauit C. Antonium collegam meum: cui misero præclari in rempublicam beneficij memoria nihil profuit; nocuit opinio maleficij cogitati. postea nemini concessit æqualium, plus ut in foro, plus ut in negotijs uersaretur, causisque amicorum, plus ut ualeret inter suos gratia. quæ nisi uigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrij consequi non possunt, omnia labore, & diligentia est consecutus. In hoc flexu quasi ætatis (nihil enim occultabo, fretus humanitate, ac sapientia uestra) fama adolescentis paululum basit ad

P. B. metas notitia noua mulieris, & infelici uicinitate, & insolentia uoluptatum. Quæ cum incluse diutius, & prima ætate compressæ, & constrictæ fuerunt, subito se non nunquam profundunt, atq; eijciunt uniuersæ. quæ ex uita, uel dicam, quo ex sermone (nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur) uerum ex eo, quicquid erat, emerit, totumq; se eiecit, atq; extulit: tantumque abest ab illius familiaritatis infamia, ut eiusdem nunc ab sese inimicitias, odiumque propulset. Atque, ut iste interpositus sermo deliciarum, desidia quæ moreretur (fecit me mebercule inuito, & multum repugnante, sed tamen fecit) nomen amici mei de ambitu detulit: quem absolutum insequitur, reuocat, nemini nostrum obtemperat, est uiolentior, quam uellem. Sed ego non loquor de sapientia, quæ non cadit in hanc ætatem, de impetu animi loquor, de cupiditate uincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ studia in his iam ætatibus nostris contractiora esse debent: in adolescentia uero, tamquam in herbis, significant, quæ uirtutis maturitas, & quantæ fruges industria sint futura. Etenim semper magno ingenio adolescentes refrenandi potius a gloria, quam incitandi fuerunt: amputanda plura sunt illi ætati (siquidem efflorescit ingenij laudibus)

quam

quam inferenda. Quare, si cui nimium efferbuisse uideatur
huius uel in suscipiendis, uel in gerendis inimicitijs uis, fe-
rocitas, pertinacia; si quem etiam minimorum horum ali-
quid offendit, se purpurae genus, si amicorum cateruae, si
splendor, si uiror: iam ista de se feruerint, iam aetas omnia,
iam ista dies mitigarit. Conseruate igitur reipublicae iu-
dices, ciuem bonarum artium, bonarum partium bonorum
uirorum. promitto hoc uobis, & reipublicae spondeo, si mo- P. 54.
do nos ipsi reipublicae satis fecimus, numquam hunc a no-
stris rationibus seiunctum fore. quod cum frater nostra fa-
miliaritate promitto, tum quod durissimis se ipse legibus
iam obligarit. Neque enim potest, qui hominem consula-
rem, quod ab eo rempublicam uiolatam diceret, in iudiciũ
uocarit, ipse esse in republica ciuis turbulentus: non potest,
qui ambu ne absolutum quidem patitur esse absolutum,
ipse impune umquam esse largitor. Habet a M. Coelio respu-
iudices, duas accusationes uel obsides periculi, uel pignora
uoluntatis. Quare oro, obtestorq; uos, iudices, ut qua in ci-
uitate paucis his diebus Sextus Clodius absolutus sit, quẽ
uos per biennium aut ministrum seditionis, aut ducem ui-
distis; qui aedes sacras, qui censum populi Romani, qui me-
moriã publicam suis manibus incendit; hominem sine re,
sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis: ore, lingua, manu,
uita omni inquinatum; qui Catuli monumentum afflixit,
meam domum diruit, mei fratris incendit; qui in Palatio,
atq; in urbis oculis seruitia ad cædem, & inflammandam
urbem incitauit; in ea ciuitate ne patiamini illum absolu-
tum muliebri gratia, M. Coelium libidini muliebri condona-
tum: ne eadem mulier cum suo coniuge, & fratre, turpissi-
mum latronem eripuisse, & honestissimum adolescentem
oppressisse uideatur. Quod cum huius uobis adolescentiam
propo

proposueritis, constituitote uobis ante oculos huius etiam
 miseri senectutem, qui hoc unico filio nititur, in huius spe
 requiescit, huius unius casum pertimescit: quem uos suppli-
 cem uestrae misericordiae, seruum potestatis, abiectum non
 tam ad pedes, quam ad mores, sensusq; uestros, uel recorda-
 P.B. tione parentum uestrorum, uel liberorum iucunditate sa-
 stentate: ut in alterius dolore, uel pietati, uel indulgentia
 uestra seruiatis. Nolite, iudices, aut hunc iam natura ipsa
 occidentem uelle maturius extinguere uulnere uestro, quam
 suo fato: aut hunc nunc primum florescentem, firmata iam
 stirpe uirtutis, tamquam turbine aliquo, aut subita tempe-
 state peruertere. Conseruate parenti filium, parentem filio:
 ne aut senectutem iam prope desperatam contempsisse, aut
 adolescentiam plenam spei maxima, non modo non aluisse
 uos sed etiam perculisse, atq; afflixisse uideamini. Quem se
 uobis, si suis, si reipublica conseruatis, additum, dedi-
 tum, obstrictum uobis, ac liberis uestris habebitis:
 omniumq; huius neruorum, ac laborum
 uos potissimum, iudices, fru-
 ctus uberes, diutur-
 nosq; capietis.

**

PRO